



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Monumenta Paderbornensia

Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>

Francofurti ; Lipsiæ ; Norjbergæ, 1713

Widmung


urn:nbn:de:hbz:466:1-29975

SERENISSIMO POTEN-
TISSIMOQVE
PRINCIPI AC DOMINO
DOMINO
GEORGIO
LUDOVICO,
S. ROM. IMPERII ARCHI-
THESAVRARIO ET ELECTORI,
DVCI BRVNSWICENSI ET
LVNEBURGENSI, ET
RELIQVA.

*ELECTORI ET DOMINO MEO
CLEMENTISSIMO,*

SERENISSIMO POTEN
TISSIMO QVE
PRINCIPIS AC DOMINO
DOMINO
VITAM
ET
FELICITATEM.
GEORGIO
LUDOVICO
THESSARARIO ET ELECTORI
DUCI BRVNSVICENSIS ET
LIVNEBURGENSIS ET
RELIQVA

ELECTORI ET DOMINO MEO
SERENISSIMO



ELECTOR SERENISSIME
 AC POTENTISSIME,
 DOMINE CLEMENTISSIME,



Nter tot Regiminis curas,
 quibus Tvis Provinciis, qui-
 bus toti Imperio, quibus
 Europae universae sapien-
 tissime prospicis, POTENTISSIME ELE-
 (b) CTOR,

DEDICATIO.

CTOR, liceat mihi demissae subjectionis vocem, quam gratitudo, & TUAE magnanimitatis in me collata beneficentia exigit & postulat, interponere. Alienum TIBI opus offero, ut proprium non solvam, quis enim TANTI ELECTORIS gratiam valide demereri potest? sed tantum publice agnoscerem, haud sine modestiae ratione. Cum enim praecipuum hoc illustris eruditionis monumentum, post tam longam eruditorum expectationem, meo consilio & promotione iterum in publicum prodiret, convenientius nihil fuit, quam Serenissimo Tuo nomine praefixo, operi novum ornamentum, novamque tutelam acquirere. Res continet hic liber Saxoniam Germaniamque omnem illustrantes, imprimis autem illas provincias, quae scepro Tuo subjacent, aut illis maxime sunt vicinae, & Saxoniae antiquae annumerantur. Non denegabis itaque vel ob hanc solum causam, hisce plagis gratiosissimum Tuum aspectum. Universa enim patria nostra cognitum habet atque expertum, quod non tantum Provinciarum salus quoad regimen ad
ex-

DEDICATIO.

exemplum institutum, sed etiam quoad literariam culturam TIBI cordi sit. Haec non sola quantumvis praegnans causa fuit, Potentissime ELECTOR, ut audeam T V O folio appropinquare. Electorale donum quod gratiosa manu mihi haud merenti contulisti, ante oculos mihi est, perpetuumque T V A M admirandi magnanimitatem argumentum existit. Rarum enim est his imprimis temporibus continuo bello involutis, Augustum invenire, qui Virgilium pane donet, ut taceam, qui alterius literaria opera auri copia compenset. Postulat haec admiratio, tanto major, quo minus est meritum meum, submissam gratitudinem, non latentem intra animi aut colloquii privati fines, sed prodeuntem in publicum. Proprium laborem haud idoneum judicavi, quo commode id peragere possem: ad hoc itaque Principis Germanici illustre opus, sapientissimis T V I S oculis dignum, confugio, ut intercedat pro mea imbecillitate, meamque gratiarum actionem virtute sua insinuet. Decentius autem hoc facere non possum, omni de-

DEDICATIO.

stitutus orationis ornamento, quo TANTVM ELECTOREM alloqui fas est, quam preces fundendo pro TUA salute, quas DEUS corda scrutans balbutiente etiam ab ore accipit. Virtutum TUARVM culmen majorem TE reddidit Antecessoribus, ita ut perpetuum sis sapientiae, magnanimitatis & fortitudinis, venientibus posteris exemplum. Electoralem regibus parem dignitatem, confirmasti auxistique in gente TUA continua heroum serie clara. Jubeat itaque providentia divina, ut jus quod regium TVVM sanguinem sequitur, TE possidente magnam Britanniam, maximam DOMUS TVAE felicitatem perpetuo augeat. Vidimus in hoc libro Arminii & Wittekindi Cheruscorum Saxonumque Ducum, TVORVM antecessorum in regimine monumenta; sed hi felicitatem acquirendo, partem magnitudinis amittunt, dum TE gaudent Successore, qui summam virtutem, laudem & felicitatem, una cum benedictione divina, quod rerum humanarum summum est, conjungit & cumulat. DEUS TE sapientem Provinciarum rectorem dedit, Impe-

DEDICATIO.

perio columnam, tot Regnis spem: Conser-
vet etiam in TE DEUS populo patrem, Ger-
maniae solatium & ELECTOREM, Britannis
futurum regem. Vale diu, ut Res publica &
literaria diu TUA gratia & bonitate frui possit
& conservari.

ELECTOR POTENTISSIME
TVAE SERENITATI

devotissimus subjectissimusque

EVCHARIVS GOTTLIB RINK.